



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Epistola X. Alexandri Papae II. Ad VVilhelmvm Regem Anglorvm. Fidem laudat, eique ecclesiasticarum personarum defensionem, & Lanfranci causam commendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

## EPISTOLA X.

ALEXANDRI PAPÆ II.

AD VVILIEMVM REGEM ANGLORVM.

Fidem laudat, eique ecclesiasticarum personarum defensionem, & Lanfranci causam commendat.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei carissimo filio Vvilielmo glorioso regi Anglorum salutem & apostolicam benedictionem.*

**O**MNIPOTENTI Deo laudes gratiasque referimus, quod in hoc tempore licet mundus in maligno positus plus solito prauis incumbat studiis, tamen inter mundi principes & rectores egregiam vestræ religionis famam intelligimus, & quantum honoris sanctæ ecclesiæ, tum simoniacæ hæresis vires opprimendo, tum catholicæ libertatis usus & officia confirmando, vestra virtus impendat, non dubia relatione cognoscimus. Sed quia non iis, qui bona demonstrant, iustitia, sed in fine probatis præmium & corona promittitur, excellentiam vestram plena dilectione monemus, ut in studio Christianissimæ deuotionis vestræ persistatis: & primo quidem ecclesiæ Christi, quæ in regno vestro fiunt, religioso cultu, & iustis dispositionibus exornetis, commissa vobis regni gubernacula ita iustitiam tenendo tractetis, ut ex operum rectitudine, quod scriptum est, *Cor regis in manu Dei*, vobis manifeste congruat.

Admonet  
Alexander  
regem.

Rogamus etiam dilectionem vestram, ut ecclesiasticas personas ab iniuria defendatis: viduas, & orphanos, & oppressos misericorditer reieuando protegatis. Quoniam licet ille Rex regum & supernus arbiter totius regni, quod vobis tradidit, rationem a vobis exigat; pro his tamen districtius appellabit, quibus non fuerunt vires & arma, nisi vestra potentia. Ad hæc igitur perficienda, & aliarum virtutum incrementa percipienda, fratris nostri Lanfranci Cantuariensis archiepiscopi monitis & consiliis gloriam vestram hortamur acquiescere, quem carissimum membrum, & unum ex primis Romanæ ecclesiæ filiis lateri nostro assidue non adiunctum esse dolemus; sed ex fructu, quem ecclesiæ in regno vestro tribuit, consolationem eius absentia sumimus.

Præ-

Præterea eminentiæ vestræ notum esse volumus, quod De causis  
Lanfranco missis.  
causa Alricii, qui olim Cicestrensis ecclesiæ præsul dictus a suppositis legatorum nostrorum depositus est, non ad plenum nobis tractata videtur: ideoque, sicut in Canonicis cautum est, in pristinum locum debere restitui iudicauimus. Deinde causam eius iuxta censuram canonicae traditionis diligenter retractandam & definiendam prædicto fratri nostro archiepiscopo Lanfranco commisimus. Item sibi negotium de discernenda lite, quæ inter archiepiscopum Eboracensem & episcopum Dorcacestrensem de pertinentia dioecesis eorum est, firmiter iniungendo commendauius, ut hanc causam diligentissima perquisitione pertractet, & iusto fine determinet. In causis autem pertractandis & definiendis ita sibi nostræ & apostolicæ auctoritatis vicem dedimus, ut quidquid in eis, iustitia dictante, determinauerit, quasi in nostra præsentia definitum deinceps firmum & indissolubile teneatur. Multa vobis præter hæc significata dedissemus, nisi quod ea in huius dilectionissimi fratris nostri Lanfranci, & eiusdem fidelissimi vobis ore posuimus, ut eius viua voce & nostræ dilectionis affectum plenius cognoscatis, & reliqua nostræ legationis verba attentius audiatis. Deus autem omnipotens det vobis quæcumque sibi sunt placita velle & posse, ut & hic auctor sit vestri gubernaculi, & retributor in gloria sempiterni gaudii.

EPISTOLA XI.  
ALEXANDRI PAPÆ II.  
AD LANDVLPHVM.

Respondet quod non aliter quam cum consensu vxoris suæ monasticam vitam ingredi & votum continentiae emittere possit.

*Alexander II. Landulpho in Corsica.*

**N**O TIFICASTI te morte tenus infirmatum esse, & peccatorum tuorum recordatione, & terrore valde pauefactum, anxiæ quæsiſſe monachum fieri, & a tua vxore minis & terroribus eam occidendi ad hæc licen-

*Concil. Tom. 25.*

Iiii